



Universitätsbibliothek Paderborn

**Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm
Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

Admodvm. Reverendis, Nobilitate Eqvestri, Doctrina, Ac Pietate Illustribus
Viris ac Dominis, D. Ioanni à Befervorde, Ac D. Sixto á Liavkema.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

ADMODVM.

REVERENDIS,
NOBILITATE EQVESTRI,
DOCTRINA , AC PIETATE
ILLUSTRIBUS VIRIS
ac Dominis,

D. IOANNI
à BEFERVORDE,

Ac
D. SIXTO
á LIAVKEMA.

CATHEDRALIVM ECCLESIA-
RVM OSNABVRGENSIS & PADER-
BORNENS. S. CANONICIS
optimè meritis,

*Dominis suis ac Patronis perpetuâ observan-
tiâ colendis, sempiternam felicita-
tem.*



ADMODVM Reve-
rendi, Nobilitatis, e-
ruditionis, ac virtu-
tum splendore orna-
tissimi Domini, pa-
tronii mihi summa
semper religione colendi: Anninec
dumeffluxerunt septendecim: cum

) (2 in

EPISTOLA.

in antiquissimæ atque adeo primæ
in Westphalia Christianorum Reip.
litterariæ, scholæ, inquam, vestræ
Carolinæ, Sciagraphia, non discipli-
nam solùm seu leges, quibus univer-
sum illud vestrum Gymnasium (cu-
jus habent mihi ex alma Vniversita-
te Coloniensi ad vos traducto erant
commissæ) astrictum & circum-
clusum esse volebam, sed ipsam etiā
doctrinam, artes, classicos auctores
Græcos, Latinos, Sacros, Profanos
in eo personantes, & Exercitatio-
nes, quibus in omnes partes usum
præceptorum & authorum ducebā
esse confirmandum, adumbravi.

Atque in hac postrema Classica
Scholæ commendatione quam à
quatuor potissimum generibus ex-
ercitationum proficiisci docebam,
cùm de prima forma exercitationis
pertractarem, inter cætera hisce u-
tebar verbis:

*Quod ad compositionem attinet, singu-
lis hebdomadis supremis Scholis paucis qui-
dem verbis proponemus Locos Inventionis
omnis*

DEDICATORIA.

omnis generis Orationum & Epistolarum,
sed compositionem, dilatationem, exorna-
tionem eorum aridam, sterilem, jejunam,
fame ac macie senectam, & quam pro ma-
teria astrictiorem non feremus. Interdum
ex graco scriptore aliquid Latinè conver-
sum ex Latino sermone clauso libro quæ
postliminio patriæ & civitatis sue restitu-
ent, nonnunquam & Authores Latinos
Græcis verbis tractare incipient. Quine-
tiam in opportunitate illustrem historiam,
his semelatq; iterum commemorabimus,
quam ipsi auditam statim historicè con-
scribent, vel numeris illigando in certum
genus carminis coniūcient. Singulis item
septimanis ex his oratorum quasi gladia-
torum patria orationes à se compositas vel
Græcè, vel Latinè, interdum carmine,
nonnunquam libera & diffluente oratio-
ne ex memoria in acroasi nostri Gymnasii
magna recitabunt. Hic etiam Demosthe-
nes aliquando Latinè dicet, à mutato Græ-
co & Attico pallio, togam in forum ac po-
pulum adfert Latij. Nonnunquam tres,
quinque, aut plures, questionem aliquam
in contrarias partes nervosis orationibus
tractatam, de victoria laude & primi loci

X 3 glo-

EPISTOLA

gloria concertantes, ventilabunt, &c. Ante omnia vero in eo nostra & evigilabunt curæ, ut talia omnibus proponantur argumēta quibus in pulcherrimarum rerum cognitionem quasi manu deducantur & omnis generis virtutes pectoribus eorum altissimè imprimantur, &c.

Inter alias vero, quas cardines istius vestri Gymnasii integros ferme quatuordecim annos ferens, fidei meæ commissæ, ac concreditæ juvenuti proposui, Exercitationes, non postremum sibi vendicant locum, Themata Oratoria non pauca, ex quibus viginti duntaxat & unum, Anno millesimo sexcentesimo decimo è latebris in lucem ac conspectū hominum produxi, & quoniam illa magno & studiosorum & doctorum virorum applausu sunt excepta, precibus Typographi mei permotus, istis pauculis jam 79. alia adjunxi.

Quemadmodum autem superiora illa non RR. DD. VV. solùm, sed omnibus etiam, sine ulla exceptione, Ecclesiæ vestræ Osnaburg. amo-

DEDICATORIA.

modum Reverendis ac nobilibus
Dominis Canonicis nuncupavi, ita
hæc RR. DD. VV. duntaxat tan-
quam firmissimis duarum Cathedra-
lium Ecclesiarum columnis dedica-
re, & sub vestro amplissimo, gravissi-
mo, atque adeo illustri nomine hanc
lucem aspicere volui.

Eis enim, qui de me benè mereri
non cessant, ego vicissim, ut mea cō-
ditio patitur gratificari totis viribus
meritò contendo, ponderans me-
cum illud Plauti:

*Si bonis quid sit boni, idem & gratum
& grave esse consuevit, eò quòd animum
illi gratum habent semperq; servos sese esse
arbitrantur, donec gratias aut egerint aut
retulerint.*

Per æterna autem & innumerabi-
lia in cælo Patronis doctorum viro-
rum reposita præmia etiam atq; et-
iam peto, ut hunc in gratiam eorum,
qui in castris Musarum merent, su-
fceptum laborem grato animo susci-
pere non dedignemini, maximè cùm
& Professoribus, & studiosis Elo-

) 4 quen-

EPISTOLA
quentia admodum futurus sit fru-
tuosus & pernecessarius.

Sienim Professores Eloquentia
suis demandayerint auditoribus,
ut hæc sibi comparent Thema-
ta, non viva duntaxat voce / quæ,
ut sanctus inquit Hieronymus, ne-
scio quid latentis habet energiæ) ex-
ercitatione, disquisitione, ac dispu-
tationibus eos rectius poterunt ex-
colere, verum etiam plura eorum a-
nimis instillare, neque magnoperè
necessarium erit, eorum ingenia hu-
jusmodi Thematæ dictando, cum
maximo ipsorum incommodo, pre-
mere & onerare. Quod enim disci-
puli nimiâ scriptione se confiant,
pulchrè R. P. Antonius Possevinus
Soc. JESU Theologus expressit his
verbis: *Valetudinis ac vita non mediocre*
per nimiam scriptiōnēm periculum incur-
ritur, atramentumq; plerumq; mutatur in
sanguinem, cum è pectore vomitur, ubi ve-
rò capitis ac ventriculi vires sunt fractæ,
quod debuerat esse studiorum curriculum
id vita claudicatio fit temporisq; jactura,
aliorum

DEDICATORIA.

aliorum etiam molestia pecuniaeq; amisio,
ac damnum proximi cui opera præstari ne-
quit. Vnde ducentis quinquaginta prope-
modum ab hinc annis in Academia Pari-
siensi lex de ratione, forma, ac modo expli-
cande Philosophia lata est, qua præcisè ca-
vebatur, ne Doctores, quos vocabat Nomi-
natores, ad pennam, subducendis singulis
propositorum librorum verbis, nominan-
do & dictando auditorum manum potius
exercent, quām continentie explicatione
mentem erudirent. Nostri certè, addit P.
Possevinus, quorum magna pars hoc in
negotio maxime versatur, usu ac damno
edocti, quod è nimia illa descriptione pra-
diit, diu est, cum tanti incommodi & laba-
ris tollendi (ne dicam moderandi) necessi-
tatem intellexerunt, ac propterea quos in
Lusitania Academiis habemus Patres, h̄i
jam Naturalis Philosophia partem è prelis
emisere, quo tum scriptio illa subtrahatur,
tum relinquatur occasio, unde acuantur ta-
men ingenia, ac multa in arenam disputa-
tionum conferri queant.

Hæc ille.)

Agite igitur admodum Reveren-

ti. (§ di No-

EPISTOLA DEDICAT.

di Nobiles, ac mihi summa semper
religione Venerandi Domini, The-
mata hæc, tanquam exiguum grati-
tudinis & observantia meæ erga vos
argumentum fovete & contra ma-
levolorum insultum defendite ac
propugnate. DEVS Opt. Max RR.
DD. VV. excolendæ virtuti natas
quam diutissimè sospites ac floren-
tes conservet. Dat. Monast. ex Colle-
gio Detteniano, Anno M. DC. XII.
mense Aprili.

RR. DD. VV.

*Observantissimus semper
Cliens,*

Matthæus Tympius SS,
Theol. Licent.

CICE-